



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

De Columba. Perseverantis continentiae vidua.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

cujus vecardiae testimonium ut transiret ad posteros, testamento etiam cavit, ut sacrificio super arcampia  
toni & Proserpine operatio ea rosis exornaretur. Sed facessant exempla bac à pietate insutisq; nostra  
alienissima. Longè gloria proferet se forsitan Alceste Admeti Regù conjux laudatissima, qua mori ipsa  
pro mariti vita, quem sata sub hac condizione damnaverant, elegit: cuius mutua inter conjuges charita-  
tis exempla, apud Romanos plena, sunt memoriae commendata. Tu non minori in conjugem tuum offi-  
ciis successa, mortem ideo non affectasti, quod vivendo, vivum nobis maritum ingenitai clarissimi open  
representas, & quod admirabilius est, immortalem facis. Quineam dum virū, eum, quamvis apud  
peros incomparabilis fruatur beatitudine, tua tamen pietatis officia, sensu nescio quo, rerum, nostrorum,  
quæcumq; illum tangit cum, jucundorem bilarioremq; efficit, ac beatorem. Cum itaq; insignitoribus pia-  
ti, que ante alia etate claruerunt, anteferenda sit, cogitavi ego ex hieroglyphicis lucubrationibus mihi Ca-  
lumbam, & Turem tibi dedicare: ut commentarium hoc sanctissime viduitatis exemplar, non tibi,  
que testimonio bis non eges, sed mihi jucunditatis illius, quam ex virtutum tuarum contemplatione pri-  
cipio, monumendum sit, atq; conservatio. Tu quid fuscī coloris Columba apud Ægyptios, quid Turia  
sacris eorum literis significaret, & que veluti in comitatum accedunt, si adlibuerit, leges. Ego me sicut  
animo fecisse videor, si quam antiquissimi sacerdotes illi viduitatem quibusdam rerum imaginibus occula-  
bant, nostro tempore per te prodire in lucem & omnibus innotescere contigerit.

## DE COLUMBA.

## PERSEVERANTIS CONTINENTIAE VIDUA. CAP. I.

*Nigra Co-  
lumba.*

**Q**uamvis multa essent apud Ægyptios, & nationes alias Columba significata, illud tamen in  
primis continentissimis illis Sacerdotidus admiratione dignum habebatur, quod cum animali  
alioqui procacissimæ falacritatis esset, lasciviazque notam apud omnes fere gentes contraxisset, in-  
comparabile tamen exemplum continentia, summanque pudicitiam in ea deprehendebant, quod  
marito fidem servaret inviolatam. Quare mulierem quæ vidua perstaret, significare illi cum in-  
stituissent, Columbam nigrā pingere commenti sunt. Pudicitia siquidem, Columbis prima, & neu-  
tri nota adulteria: conjugii fidem non violant, communemque servant domum, quam nisi coelebs  
aut vidua non relinquit, & quandiu marito priori viduata est, ali⁹ non copulatur. Si vero iusta sit à  
domino transfiere ad secundas nuptias, fidem eandem servat secundo, qua se priori obstrinxerat, ut  
Propertius:

Exemplo junctæ tibi sint in amore Columba,  
Masculus, & totum fæmina conjugium.

*Pullus color  
in luctu.*

Idcirco Tertullianus in sua Monogamia hanc in exemplum trahit, nos ad simplicitatem ejus pro-  
vocatos ea de causa dislerens: quod ea avis non innocua tantum sit, verum etiam pudica, quamvis  
nam unus masculus novit. Nigrā autem illam Ægyptii faciebant, id scilicet indicate, quod ad se-  
cundas nuptias non transisset, sed atrata viri prioris desiderium præ se ferret: in luctu enim pullo ut  
colore, multarum gentium mos est, quamvis apud Romanos in Imperatorum funeribus vestibus  
albis, ut Plutarchus & Herodianus assertur, utebantur. Venetos autem Padanoque omnes atratis  
ut vestibus, quod Phæthonis casum adhuc lugent, fabulosus idem Plutarchus ait: sive, quia niger  
color firmatus & perseverantie signum. Colores enim alii ex uno in alium transeunt; obscurioriq;  
corporis admittione densiores sunt: sed ubi ad nigorem peruentum est, ibi constitutur. Ajunt vero  
nonnulli, non omnium hanc Columbarum naturam esse, ut pudicitiam ita custodiant suam, at ea-  
rum tantum, quas Græci φάσαι vocant, pullis gallinaceis handi multo minores, quas ferunt tri-  
gesimum saepius & quadragesimum etiam vitæ annum excedere. Cœlibatum vero quem alterutro  
eorum extincto coniux alter fideliter servat, & Corvis & Cornicibus & Graculis communem esse  
perhibent. Columbarum autem oblationem in facris Theologi ita accipiunt, ut conjugii tam fæ-  
mi ratione habita, nos quoque mentem stabili firmitate perseveraturam Deo, ut vero conjugi  
sociemus.

COR.